



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Mulieres in ecclesiam vna cum viris introire vetuit. Cap. XLVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

Mulieres in ecclesiam una cum viris introire vetuit.

CAP. XLVI.

AC propterea legem secundò tulit, iubens ne viri simul cum mulieribus precibus in ecclesia ad deū fuis interessent, ne uè sexus muliebris angustas virtutis scholas adiret, neu deniq; episcopi mulieribus sacra dei eloquia explicarent: Sed mulieres ipse, alias mulieres, à quibus erudirentur, sibi deligerent. Verum cum ista essent omnium irrisione illusa, aliud quiddā ad ecclesiarū euersionem machinatus est: asseuerans populi conuētus, qui de more agebantur extra portas in amœna planicie fieri oportere. Nam aerem, qui extrā portas est, permultum ei qui est templorum in ciuitate sitorum, ad congregatos faciendos præstare.

*Qui sacrificare uenerant, militia submouendos precepit
& qui in vinculis detinerentur, alimenta subministrare
haudquaquam permisit. CAP. XLVII.*

Verum ubi ne in hoc quidem instituto, habebat, qui ei morem gerent, de cætero, nudo capite, ut dicitur milites qui erant in ciuitate, si dæmonibus hostias immolare ne utiquam in animum inducerent iussit de dignitatis gradibus, quibus fruebatur penitus deiici. Proinde uti cohortes piorū hominum, ubiq; gentium honoribus erant dispoliatæ: Sic tyrannus qui has leges sancierat, sua ipsius opera sanctorum virorum precibus omnino orbatus. Quid præterea commemorem, quo pacto in mandatis dederit, ne quisquam eos, qui carceribus miserè afflictabantur, alimenta benignè impertiendo subleuaret, ne uè illorum, qui erant in vinculis fame confecti, miseretur. Imo vero neq; quemq; omnino illorum qui ad proximorum commiserationem à natura trahebatur, vel in bonorum numero haberi debere vel quicquā boni agere censuit. Atq; hæc inter illius leges, planè impudens fuit, & impia in primis, longeq; omnes naturæ terminos transiit: in qua pœna erat proposita, ut qui misericordiam aliis præstarent, ex æquo cum illis, qui egerent eadem plecterentur: & qui propenso animo benignitatis exequerentur officia, in carcerem & vincula coniecti, idem supplicium, quod afflicti perpetiebatur, subiret.

De